

EPISTULA AD DIOGNETUM II, 1 ; II, 3.

II, 1. Pauca, ut notum est, praefatus auctor tam laudati huius opusculi, ad vanitatem idolorum detegendam pergit: « ἴδε μὴ μόνον τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀλλὰ καὶ τῇ φρονήσει, τίνος ὑποστάσεως ἢ τίνος εἶδους τυγγάνουσιν, οὓς ἐρεῖτε καὶ νομίζετε θεούς ». Cuius sententiae vis plane mihi effugisse videtur optimos interpretes, Stephanum imprimis, eumque multos secutos, inter quos satis sit Funk (Patres Apost.² pag. 393) memorare. Etenim idolorum non hic componuntur substantia et forma — ut praedicti interpretantur — immo vero substantia et *species* (εἶδος): cum subinde sequentia εἰρωνεῖα quadam conspersa sint, sane mihi videtur hic quoque lusisse auctor, nihil aliud quam species esse notans idola. Quid contra significet, vel potius quam vim habeat, formam quaerere idolorum, quorum vanitatem patefaciendam sibi omnino proponat scriptor ?

Nostra autem interpretatio « τῇ φρονήσει » validius fulcitur: rationis enim vis aptius ad species intellegendas quam ad externas formas animadvertendas adhibetur.

II, 3. « οὐ πρὶν ἢ ταῖς τέχναις τούτων εἰς τὴν μορφήν τούτων ἐκτυπωθῆναι, ἣν ἕκαστον αὐτῶν ἐκάστω, ἔτι καὶ νῦν, μεταμειορφωμένον; ». Ita locum fere omnes legunt interpretes, lectionem sequentes codicis Argentoratensis, deperditi quidem, quam vero apographum Hausianum seu Tubingense testatur. Itaque vertunt: « Nonne, priusquam artibus horum in formas istorum effecta sunt, unumquodque eorum ab unoquoque, idque etiam nunc, transformabatur? » (vert. Funk. op. cit. p. 393). Quin potius, textus emendationem a Lachmann propositam — εἰκάζειν pro ἔτι καὶ νῦν — eligentes, nos ita vertimus: « Nonne priusquam illorum artibus in istorum formam effingerentur, licuit singulis (artificibus) singulum eorum (idolorum) effingere transformatum? » ? Prior revera interpretatio nec non et lectio evilescens nobis apparet, utpote quae in cassum idem iam supra dictum iteret. A nobis proposita nonne magis congruens est tota cum circumscriptione verborum? Quo

maius vana idola denotentur, hoc adiungitur: personam ipsam non inesse singulis dīs, sed eam conflari tantum pro artificum arbitrio, ita ut singuli alius formam repraesentare possint, si aliter cogitet artifex.

Athenagorae πρεσβεία περι Χριστιανῶν XI, 25.

Christianorum doctrinae excellentiam laudans, Athenagoras cum ea comparat rhetorum artes qui vana sectantes male vivunt, his verbis: « αἰ διὰ τελοῦσι κακῶς τὰ ἀπόρητα ἑαυτοῦς (vel ἑαυτοῖς (Otto)) ταῦτα μεταλλεύοντες καὶ αἰ τι ἐργάσασθαι ἐπιτυμοῦντες κακόν, τέχνην λόγων καὶ οὐκ ἐπίδειξιν ἔργων τὸ πρᾶγμα πεποιημένοι ». Loci huius, corrupti quidem, alii aliter emendantes, varias interpretationes dederunt: discrepantiae causa sunt verba « τὰ ἀπόρητα » quae « fastidienda » Geffcken, « arcana » Otto et Ubaldi, « nefanda » Paul, « abscondita » Lindner verterunt. Nos autem Otto emendantem sequentes, ab eo dissentientes in versione, ita intellegimus: « verba quae ipsis dici non licet », id est: « verba contra ipsos tacenda » ab adversariis scilicet. Nonne graphice et lepide depingit hic noster doctos qui scrutantur verba quibus a se dissentientes dilanient, verba non quidem contra ipsos dicenda? Nonne hoc est « semper cupere ut aliquid mali faciant, verborum artem non ipsa facta persequentes »? Acerbe fricantur doctorum vitia, quae ne nostris quidem temporibus omnino evanuerunt. Haec subiungimus: ἀπόρητα eadem vi adhiberi ab Athenagora in cap. XXXIV, 1.: « ὃ τί ἂν εἴποιμι τὰ ἀπόρητα;: « o quid tacenda dicam? ».

PAULUS ROASENDA